Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26139
Copyright: Admont, Benediktinerstift



quando onerantur ut breuiores et humiles fiant accubant. grece
cami humile & breue dicunt. siue quod curuus est dorso. Camur
enim uerbo greco curuum significat. hos lice & et alie regiones mit
tant. sed arabia plurimos. Differunt autem sibi. nam arabici bina
tubera in dorso habent reliquarum regionum singula. Dromeda
genus est camelorum minoris quidem stature sed uelocioris. unde
et nomen habet. nam dromos grece cursus et uelocitas appellatur.
Centum enim et amplius milia uno die pergere solet quod animal
sicut bos et oues et camelus ruminat. Ruminatio autem dicta est
a rumine eminente gutturis parte per quam dimissus cibus
a certis reuocatur animalibus. Asinus et asellus a sedendo dictus
quasi assedus. sed hoc nomen quod magis equis conueniebat. ideo
hoc animal sumpsit. quia prius quam equos caperent homines
huic presidere ceperint. animal quippe tardum & nulla ratione
renitens. statim ut uoluit sibi homo substrauit. Onager interpre
tatur asinus ferus. On. quippe greci asinum uocant agriam ferum.
hos africa habet magnos & indomitos. & in deserto uacantes
singuli. aut gregibus feminarum presunt. masculis nascentibus
celant. & testiculos eorum morsu detruncant. quod cauentes matres
eos in secretis locis occultant. Asinos archadicos dictos eo quod ab
archadia primum uecti sint magni & alti minor autem asellus
agro plus necessarius est quia et laborem tolerat & negligentiam
prope modum non recusat. Equi dicti eo quod quando quadrigis iun
gebantur equabantur paresque forma & simili cursu copulabantur.
Caballus antea cabo dictus propter quod gradiens ungula inpressa
terram concauet. quod reliqua animalia non habent. inde et sonipes
quod pedibus sonat. Viuacitas equorum multa. Exultant enim
in campis. odorantur bellum. excitantur sono tube ad prelium. uo
ce accensi ad cursum prouocantur dolent cum uicti fuerint exul

d Dromeda.
d Asino
d Onagro
d Equo